



CLIX

CLEMENTIS IX.

PONTIFICIS OPTIMI MAXIMI ICON,

EX EPISTOLA

VIRI CLARISSIMI

SAMVELIS SORBERII,

Ad Illustrissimum Virum,

D. HENRICVM LVDOVICVM HABERTVM MOMMORIVM,

Primum Libellorum Supplicum Magistrum.





PARISIIS,

Excudebat Antonius Vitré, Regis & Cleri Gallicani Typographus.


M. DC. LXVII.



CLEMENTIS IX. PONTIFICIS OPTIMI MAXIMI ICON,

EX EPISTOLA VIRI CLARISSIMI SAMVELIS SORBERII,

Ad Illuſtriſſimum Virum;
D. HENRICVM LVDOVICVM HABERTVM MOMMORIVM, Primum Libellorum Supplicum Magiſtrum.



IR ILLVSTRISSIME,

In ſuperioribus meis, Lugduno datis, pollicitus eram, me pluribus ad te ſcripturum circa viſos à me, & tuo nomine ſalutatos Literatos Viros, quos Vrbs illa plurimos habet tibi amicos. Suſceperam quoque de Speculo uſtorio acturum me cum inſigni illo Villeta, Operario; quem, nulli parcens ſumptui, ſollicitas pridem, vt conſimile paret illi, quod curioſitati tuæ ſubreptum

delatum fuit in Daniam, ceu Artis Catoptricæ miraculum, & ad Mathematicorum, atque Phyſicorum ſtuporem. Ægrè fers enim, VIR DOCTISSIME, Galliam noſtram hiſce ornamentis carere, & ab exteris nationibus aliò deportari hujuſcemodi ad philoſophandum circa res naturales adjumenta. Sed tanta fuit properantia mea ad ſemel auditum de exaltatione Eminentiſſimi Cardinalis IVLII ROSPIGLIOSII nuncium, vt nullas ad te alias literas diſcedens dare potuerim. Nam itineri me ſtatim commiſi, CLEMENTEM IX. veneraturus. Dimiſſis igitur omnibus negotiis, nullâ autem habitâ tempeſtatis ratione, Syrio fervente, & Vltramontanis Romam adeuntibus infeſtiſſimo, Alpes ſuperavi, & totam penè Italiam trajeci, ad nulla planè attendens, quæ notatu digna occurrebant; adeò erat defixa mens in SIDVS illud OLORIS; in Cynoſuram illam pietatis, doctrinæ, & bonæ mentis, quam Orbi Chriſtiano exoriundam ſæpiuſculè mecum optaveras; ex Icone in Muſæo meo conſpectâ, & ex Epiſtolis plurimis pereruditis, de virtute Viri rectè judicans. Et ſanè imitatus ſum aliquatenus in iſta mea feſtinatione, & ἀπειροκαλίᾳ, ſeu ruſticitate, Elizæi Prophetæ famulum, qui nec retrorſum, nec dextrorſum, ſiniſtrorſumve reſpexit, nec quemquam obvium ſalutavit. Vix enim in Muſæum Septalij oculos detorquere Mediolani dignatus ſum; vix cum Patre Ricciolo; quanto me hercule inter Ieſuitas Viro! Bononiæ paucis egi; vix Caſſini lineam Meridionalem in S. Petronij Templo deſcriptam reſpexi; vix Semonem illum, Pianeſſæ Marchionem, Auguſtæ Taurinorum obiter

miratus

miratus ſum in Cœnobio deliteſcentem, vt Deo ſe totum traderet, qui annos totos quadraginta Sabaudicæ Aulæ ita impenderat, tot ſuſtinens & tanta negotia ſolus, vt nullis tamen non diſquiſitionibus Philoſophicis, Theologicis, vel alio quocumque modo ad ſummam vel politiorem eruditionem ſpectantibus, Iudex acerrimus, interfuiſſe videatur. Atque ita me geſſi omninò, vt Romam vnicè ſpiraverim, & in ea Summum Pontificem. Flare mihi videbatur medio in æſtu aura quædam ſuaviſſima, quâ impelli me ſentiebam. Conflabatur autem ea ex vocibus omnium de præcellenti Virtute bene exiſtimantium, exoriebaturque veluti concentus cæli, ſolique, hominum & Angelorum huic electioni acclamantium. Mira enim vbique lætitia, & ex corde proveniens, nec in labris natans apparebat. Mira, inquam, quum non ſolùm occuparet in Vrbibus Viros doctos, vel rerum politicarum peritos; ſed ſpectaretur quoque paſſim mediis in agris, in ruſticis & plebeculâ, quam mirabar adeò gnaram eſſe cauſæ cur ita geſtiret. An aurigas ipſos memorem, nautas, cauponeſque malignos, qui laudibus ſuis ad cælum extollebant Viri Sanctiſſimi pietatem, & illa ipſa non infacundè prædicabant, quæ grandiori tubâ occinebant alij majoris momenti teſtes non rejiciendi. Quod quidem Divinâ prorſus inſpiratione factum putabam in iſta hominum fœce, quæ ad inſtar Aſinæ Balaami poteſt aliquando Prophetam agere, vel oportuna proloqui, juxta vetus illud,

Πολλάκι καὶ μωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

Quidquid illius ſit, VIR ILLVSTRISSIME, nullus vnquam Mortalium ad ſummos honores pari cum

applausu evectus fuit, nullus majorem de se expectationem concitavit, nec vllus vnquam tanta pollicitus est Christianæ Reipublicæ bona, quanta præstiturum CLEMENTEM IX. conjicere fas est ex iis, quæ intra hos duos menses præstitit; dignos planè tam excelso, ac Divino Principatu spiritus ille gerit; nihil sapit humile in commune bonum, atque adeò (quamvis ad ista non attendat) in Nominis sui gloriam immortalem. Quam ille non quæret in lapidibus & cæmentis coacervandis, quæ in quamcumque molem exsurgant humilia, videntur magnis ingeniis, omne Immensum mente, animoque peragrantibus; neque in iis bonis comparandis, quæ Pontificio nomini indecora, vsus tamen superiorum temporum licita quodammodo fecisse videbatur. Ad munus ille suum attendens seriò, jugiterque considerabit humanâ quâ parte locatus sit in re. Qui Principem enim aget, recordabitur idem se Christi Vicarium esse, & Petri Successorem, ad quem spectat in puppi navis sedere, ovili invigilare, scopulos vitare, in æterna pascua oves compellere, & ad æternæ salutis portum appellere. Hisce autem incumbenti quanta laudis non marcescentis seges veniet metenda? Quanquam enim Spiritus Sancti ductu cuncta gerantur (quæ quidem pertinent ad Doctrinam, ac Disciplinam Ecclesiæ) in istâ Petri Cathedrâ, in partes tamen veniet consummatissima CLEMENTIS IX. prudentia & Religio. Revocabit ille mores antiquos, & Summorum illorum Pontificum memoriam renovabit, quos ardens evexit ad Sydera virtus, quos Ecclesia Catholica defunctos meritò colit, quorum dies festos

celebrat quorum intercessionem Populus Christianus, implorat. Bonum istum Pastorem nostrum profectò non spectabunt querelæ Michaëlis vestri Hospitalij, de Summorum quorundam Pontificum ambitione, & avaritiâ, vel scommata ab Hæreticis in S. Sedem Apostolicam perperàm conjecta propter humanitùs passos aliquid Summos Pontifices, privatæ Domûs suæ potiorem, quàm Reipublicæ rationem habentes. Quod cùm aliquando contigerit fortasse Senibus optimis, nimiâ quâdam indulgentiâ, vel in suos proclivitate (quibus scilicet adhuc junioribus, imperitioribusve, vel à regno Dei alienis, non satis subacta fuit mens in rerum maximarum contemplatione) nullatenùs extimescendum in isto Pontificatu. Eodem enim Divino Spiritu, quo SVMMVS PONTIFEX ducitur, & FRATER insignis pietate Vir, & NEPOTES Regiæ planè indolis ac virtutis, & in Domo prænobili, atque hospitalitatis, & Religionis laude præstanti liberaliter educati, dūcuntur, quod omnibus in rebus luculenter præ se ferant; omnes infrà se positam despicientes κενοδοξίαν, & ad Patrui, Heroïs Maximi, & Sanctissimi magnanimitatem assurgentes: Qua in re ejus felicitatem non minimam puto. Fratrem CAMILLVM ego non vidi, qui Romam nondum venit, moderatione vsus sapientissimâ, dum in patriâ suâ Pistorij, re à Majoribus suis Nobilissimis relictâ gaudens amplissimâ, magnam partem bonorum suorum impendit Eleemosynis, & communis pater pauperum dudum perhibetur; à quo instituto nequaquam ille deflectet. Filios ejus jam vidi; qui Patris & Patrui vestigiis insistunt, & Viri-juvenes sunt

modestissimi; non rudes rerum Politicarum; Eques præsertim Hierosolymitanus, qui diu, multumque peregrinatus est; qui verò habitu sunt corporis decoro, & ad Principatum nato, atque multiplici facundiâ pollent, præcelsi; quò assurrexêre loci gravitatem, & innatam animi fortitudinem moribus suavissimis, & multâ comitate temperantes. Et tales quidem visi VINCENTIVS & THOMAS natu minor. Nam de IACOBO Illustrissimo illo Abbate Rospigliosio, nuper Internuncio, quid referre possum, quod jam vobis non innotuerit, quandoquidem, & in Comitatu Legati ante aliquot annos Lutetiæ exoriens vti Sol ætherius, Stellas præstrinxerit, Patruo suo CLEMENTI IX. veluti prælucens; magnam verò dehinc in Belgio, tum rursum Lutetiæ, prudentiæ suæ admirationem pariens, Aulæ vtrique acceptissimus. Cujus sanè Incomparabilis Viri spectata Virtus non parum contulit, vt in vnum convenirent Coronæ, semper aliàs in eligendo Summo Pontifice adeò diffidentes. Quæ vix vnquam enim eundem Cardinalem probaverant, pari studio eundem nunc Gallia & Hispania Eminentiss. IVLIVM ROSPIGLIOSIVM expetiêre, & à Deo concessum ingenti gaudio excepêre. Nomen ille sibi CLEMENTIS imposuit, habitâ ratione mansuetudinis suæ, cujus sibi conscius, & quam intemeratam servare constituit; cujus autem specimina jam edidit plurima. Panem aliàs, & Circenses Populus Romanus poscebat: At ille statim panis caritatem minuit, & vectigal ademit, quod ad milliones, vt vocant, binos, censum, seu sortem principalem reditus Cameræ Apostolicæ adaugebat.

Et

Et mira eſt notanda in prolato Edicto Summi Pontificis clementia. Nam vt famæ ALEXANDRI conſuleret, pronuntiavit, id mentis fuiſſe Anteceſſori ſuo, quamvis ALEXANDER nunquam fortaſſe id executioni mandaturus fuiſſet. Imò cùm aliquis ſuaderet Sanctitati ſuæ, vt in altera parte Numiſmatis, quod cudendum de more erat in adipiſcenda poſſeſſione Baſilicæ Lateranenſis, incidi juberet verba imminutum vectigal indicantia, renuit ille conſtantiſſimè, laudem egregij facinoris referens in ALEXANDRVM. Et in Lateranenſi quidem leguntur iſta, *IPSE DOMINVS POSSESSIO EIVS, Leu. x. 9.* In alio vero Numiſmate, quod cudi quotannis ſolet circa anniuerſariam diem S. Petri, alluſit ad eam diem, quâ creatus eſt Pontifex, quæ cùm fuerit vigeſima Iunij, S. Sylverio Pontifici dicata, memor conſtantiæ, quâ Vir Sanctiſſimus in Inſulâ Pontiâ exilium tulit, hæc addidit, *CONSTANTIA SYLVERII AD IMITANDVM PROPOSITA.* De charitate autem & miſeratione in pauperes, de liberalitate & munificentiâ, quæ aurifodinas facilè totas exhauriret, multa prædicarem, niſi mihi compertum, ſapienter illum ſibi temperare, vt habeat vnde in egenos elargiatur, vel quod in majoris momenti impenſas, vel ad vrgentiora negotia convertat. Quod factum vidimus nudiuſtertiùs erga Rempublicam Venetam, auxilio præſenti egentem, propter Candiam à Turcis obſeſſam. Nam cùm à Legato ſignificatum fuiſſet quibus in anguſtiis Sereniſſima Reſpublica verſaretur, nullum aliud reſponſum CLEMENS IX. dedit quàm Schedulam, in qua jubebatur Præfectus Ærarij ſolvere Venetæ Reipublicæ quinquaginta millia aureorum,

professus Ærarium se exhaustum reperiisse. Sed cùm probè sciat, liberalitatem perire liberalitate, nec possit tamen adeò pessulum obdere virtuti nobilissimæ, quin indulgeat aliquando ingenio suo liberali; quæ ille munera spargit, tantâ exornantur elegantiâ, vt pluris decuplo fiant, & dantis habitum quisque possit animaduertere; quem nemo negarit in liberalitate primas obtinere. In pauperes igitur quodcumque potest subtrahere aliis impensis totum illud insumit, & quotidie pauperibus duodecim cibos ministrat ad Sanctorum veterum Pontificum instar, quod semel tantùm in anno, ab aliis fieri solitum fuit. Atque vt in vniversum Populum suum manet ejus liberalitas, & cura paterna, Congregationem instituit *DE LEVANDIS ONERIBVS* nominatam, in qua rationes ineuntur, quibus possit Populus levari tributis, vt rem quisque priuatam lautiorem possideat. Quod fermè ante nostra tempora inauditum, & primùm à LVDOVICO XIV. Rege Christianissimo excogitatum, qui de Opificiis juvandis, & de Mercaturâ promovendâ, atque de Artibus Mechanicis perpoliendis non ita pridem in Galliâ nostrâ adeò sollicitus fuit, vt Academias in hunc finem eruditorum, atque peritorum & spectatorum hominum consessus statuerit. Antequàm ad hæc felicissima CLEMENTIS IX. tempora pervenissemus, horas tantùm matutinas negotiis publicis impendere solebant Summi Pontifices, cùm penè totas pomeridianas animi remissionibus traderent; vnde non facilè admitti poterant Subditi, quorum intererat, vt petitiones, vel querelæ in aures Principis rectà deponerentur. CLEMENS IX. negotiis semper

vacat, obvius est omnibus; nec dies vlla prætermittitur, in qua aditus ad SANCTITATEM SVAM non pateat. Placidè autem & renidenti vultu, vt Solij majestatem acclivem faciat, nulli non adeunti aures suas commodat, animos addit infanti pudore præpeditis, ac veluti obstetricatur infacundis, vt penitùs pernoscat de quibus conveniatur, & in hominum mentes descendat. Nec debet sileri, quàm sit memor veterum amicorum, atque clientum, vel de se aliquâ ratione, etiam minimâ, benemeritorum. Cujus summæ benignitatis insigne testimonium in me quoque præbuit, zeli mei fervorem celebrans, ac (vt ita dicam) amicè mecum agens. Neque verò prætermittendum, quàm generosè deleverit ex animo injuriarum memoriam. Quanquam enim mitis ejus sapientia præstiterit vt minùs illis obnoxius fieret, non defuêre tamen malè feriati forsan nonnulli, qui secùs quàm par erat nonnunquam egerint, quorum tamen ille videtur non meminisse. In quibus autem Palatij sui locis fiunt Congregationes Cardinalium, vel Præsulum ad tractandas res ad regimen Ecclesiæ Catholicæ spectantes, curavit aperiri fenestras, velo tamen obductas, ex quibus clanculùm interesse possit Consultationibus, Consultoresque in officio retinere, qui Principem semper præsentem habent. Invigilat autem præsertim in Ecclesiis Episcopo quamprimùm donandis, iisque Viris probis, doctis & sapientibus, quos fraudare debitâ mercede non vult, quo muneris dignitatem tueri, & si quid supersit Eleemosynis reliquum impendere possint. Ad quod attendens significavit, non fore deinceps locum Pensionibus, quibus

mediocres aliquando reditus Epiſcoporum gravantur in favorem Cardinalium; quos non ſemper Romæ morari debere ſeptuaginta magno ſumptui obnoxios exiſtimat: Quum neceſſarium è contrà judicet vt Epiſcopi in Diœceſibus ſuis reſideant, & pauperum, atque animarum ſibi commiſſarum curam gerant. Nec ſatis arbitratur ex æquo factam huc-vſque diviſionem bonorum, quæ Cardinales aliquos divitiis facit pares Regibus, dum cæteri anguſtè degunt, & egeſtate premuntur; cui tollendæ nequaquam reditus Eccleſiarum inſervire debent, quum ſit aliundè potiùs iſtis proſpiciendum. Hos inter labores indefeſſos mirum Senis, nec admodùm validi, infirmatam non fuiſſe valetudinem; quæ potiùs ſummo Dei beneficio vires acquirit, & longævitatis indubiam ſpem facere videtur. Quæ quidem in totius Orbis Chriſtiani vtilitatem, decus & ornamentum cedet. Itaque precibus apud Deum contendere debemus, vt novo ſemper corporis, quemadmodum & animi robore donetur; quo poſſit lætus intereſſe Populo Quirini, vel potiùs Chriſti φιλορωμαίων, & res humanas ſapienter, quâ cœpit ratione moderari. Neque enim extimeſcendum ne ſegniùs aliquando in iſto tramite incedat; quandoquidem famulis ſuis, vel amicis ſubinde rogantibus, vt ſibi conſulat, & virium ſuarum, atque ætatis rationem habeat, reſpondere ſolet, poſitum ſe à ſummo rerum Moderatore illo in loco, in quo nequaquam eſt quieſcendum. Quippe omiſſiones quoque in Pontifice periculoſiſſimas eſſe; & quo plura ſibi à Deo commiſſa, eò majorem eſſe debere rerum, quarum ratio reddenda, ſollicitudinem; ne-

que

que adeò aliis committendum quidquid ipse præstare potuerit. In ore autem habet jugiter illud Apostoli, *Non facio animam meam pretiosiorem quàm me;* & quâ pollet doctrinâ, atque eloquentiâ, *ambrosio* (vt tua verba agnoscas) *quo solet ore loqui*, alia subnectit plurima, quæ fidem faciunt, quo bonæ mentis parato commeatu ad Imperium pervenerit. Subnectam quæ in primo Consistorio, cùm gratias ageret SACRO COLLEGIO CARDINALIUM, pronuntiavit: *Cùm Sanctissimi Pontificis Leonis documento, non verecundæ, sed ingratæ mentis indicium sit, beneficia tacere Divina; Primùm agimus, ac semper acturi sumus humillimas gratias Omnipotenti Deo, qui nostram humilitatem respexit supra meritum, supra votum. Deinde, vt ejusdem Leonis Magni verbis vtamur, vestræ quoque humanitatis arbitrium debitâ gratiarum actione concelebramus, qui nullis præcedentibus meritis tale de nobis judicium protulistis. Hinc imbecillitati nostræ gemina exoritur in tanti oneris discrimine subsidij spes: Altera ex præpotentis Dei patrocinio, ex consilio vestro altera. Certum enim est, nos non modò agere non posse aliquid, sed ne cogitare quidem à nobis, tanquam à nobismetipsis; sed omnem sufficientiam nostram esse à Deo. Ideoque gaudemus, hâc spe freti, fore vt Clementissimus Dominus, qui ad ostendendas divitias Omnipotentiæ suæ vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, nobis abundè impertiatur eam Divini Spiritus auram, quâ feliciter in tot sæculi fluctibus Ecclesiæ navim regamus. At nunquam navis regitur à solo Nauclero. Prævidere is potest pericula, cursum ordinare, instruere vela; sed eget consilio, ac ope multorum. Igitur*

vestra consilia nobis esse perquàm necessaria intelligimus. Nam ex Oraculo Spiritus Sancti; vbi multa consilia, ibi salus. Ideoque vti par est, vos in consortium laboris advocamus. Communis erit omnium nostrûm in cælo merces, si in Ecclesiæ rebus adjuvandis communis fuerit labor. Et vestra interest, ne Christiana Respublica judicio vestro in nos eligendo inter tot sapientiâ, virtute, atque experientiâ præstantissimos Patres fraudatam se conqueratur. Nos certè non faciemus animam nostram pretiosiorem, quàm nos, nec refugiemus laborem aliquem, qui ad nostri Ministerij partes adimplendas conferre possit. Hoc animo, Divinâ favente Clementiâ, vestrisque coadjuvantibus virtutibus, quas nobis nunquam defuturas speramus, libenter humeros, quamvis longè impares, tanto oneri subjicimus.

Ex hisce poteris, VIR ILLVSTRISSIME, cognoscere ex vngue Leonem, & qualis, quantusque sit CLEMENS IX. animadvertere. Quorum, siquidem tibi consultum videatur, Amicis nostris communibus copiam facies, vt qui prænuntiaverunt tot Carminibus, ceu Oraculis totidem, Solis istius adventum, jam exorto gaudeant. Tu vale, VIR MAXIME, & perge mihi favere, qui Virtutem, Ingenium, Doctrinam, & Pietatem tuam semper sum veneraturus. Romæ, Eid. Augusti A. S. R. M. DC. LXVII.